

fateor, dicta hec, turbationem fortasse suspicans tanti viri, nisi hic ipse adiecisset ridiculose, credere te novam sponsam negligentie huiusmodi causam esse. Si ridiculum est, iuvat ridere tecum sortem mortaliū, que per varios agitata casus ad impremeditatos fines plerumque delabitur, queque ad ortum sepe festinans ceco tramite ducta precipitat ad occasum. Iuvat et proprium mirari fatum, qui modo studium appetens, solitudinem latebrasque, quamquam ingenium extet absimile, novas coniugii augustias introivi. Quodque mirabere magis, ne quid ad publicas curas desit, parata classe proxime navigatura in Siriam, Ciprum adeo, servus de libero, occupatus de expedito et demum ex clero negotiator effectus. Et, o Deus bone, quam oculte apud te agitur, quamque mirabiliter humanos casus 20 rotari permittis! Quod si forte ex proposito et humana moveris affectione, que in viros quoque fortes cadere solet, satis iocundum est michi ut apud magistrum virtutum de puxillo homine sermo fiat, ita ut non videar, qualiscunque sim, de tua memoria excidisse.

Verum, ut sententiam meam audias in verbis illis, utcunque prolati, Deum et conscientiam meam testor, nullo unquam tempore quam nunc ad te magis affici, nullumque presentius numen quam te, si dici fas est, in terris habere. Ab annis enim teneris mirari te cepi, te colui, te ducem habui, postremo te ymaginarium vite testem volui, ut didicisse memini in quadam epistola tua Epicuri sententia 30 tiam perhibere. Sic enim me inflexit humanitas tua, sic presentia rerum, sic tandem nescio quis secretus ardor, ut sepe neglectis ne dicam posthabitibus operibus illustrium aliorum, quod cum venia ipsorum dixerim, ad tua precipue suspiravi, eaque undique perquisivi solicite; et, quod tibi preter credulitatem occuret, centum ego epistolas tuas vel prope in diversis partibus sumptas a te, ab amicis quandoque, nonnunquam furtive, ut fit, etiam ab ignotis apud me, ut potui recollegi. Has autem quanti fatiam, quamque difficulter a me divelli perpetiar, sciunt multi, qui huius studii consciū

Fam. X, 3.

<sup>9.10</sup> *Vi. M. L.* huius. <sup>10 esse]</sup> *Vi M. L.* fore. <sup>11</sup> *M. L.* premeditatos.  
<sup>12</sup> *Vi.* dramite. <sup>14</sup> *Vi M. L.* extat. <sup>15</sup> *L.* absimiliter. <sup>18</sup> *de expedito]* om.  
*Vat.* <sup>19</sup> *Vat. M. L.* quamquam. <sup>20</sup> *Vi. M. L.* noveris. <sup>21</sup> *in]* om. *Vi.*  
fortes] om. *M. L.* satis] om. *L.* <sup>24</sup> *utcunque]* *M.* ut tamquam. <sup>26</sup> nu-  
men] *M. L.* anime(?) <sup>30</sup> *Vi* prohibere. enim] *Vi M. L.* denique. <sup>34</sup> *Vi*  
*M. L.* occurseret. <sup>36</sup> *M. L.* quoque <sup>37</sup> *Vi.* quemque.